



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

September.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Domina I. Septembris. SS. Angelorum. § 17

## SEPTEMBER.

Festum SS. Angelorum Custodum, seu titulare Congregationis Benedictino-Bavaricæ.

### EXHORTATIUNCULA I.

**D**ilecte! ita est! Magna, eaque innumera sunt sancti Angeli custodis beneficia. Dedisset majora, si nostra fortè non impediisset irreverentia, & ingratitudo. Ut saltē tribuat, & largiatur imposterum, amorem compensemus amandō. Angelo enim nostro debemus reverentiam pro præsentia: Devotionem pro benevolentia: Fiduciam pro custodia. S. Gregorius.

### *Instructio meritoria.*

Ostavam instituamus, & quotidie Novem Pater, & Ave cum Cantico: Benedicite oremus. Determinemus & nobis certum per septimanam devotionis diem, quō hunc tutelarem speciali honore veneremur, v. g. diem martis ubi frequentiūs usurpemus protestationem S. Caroli Borromæi S. Angelo

V 7

Cu-

SEP.

518 Dominica I. Septembris SS. Angelorum.  
Custodi acceptissimam, & in Mane no-  
biscum, aut legibus Marianis invenien-  
dam. Heu ! quis à lectulo mortis repel-  
let Sathanam, si S. Angelum neglexer-  
imus.

II.

**D**Ignitatis suæ vix non obliviscitur  
Angelus Custos, ut se totum in  
nostras impenderet utilitates, & com-  
moda. Quid enim operatur nostrum  
causâ ? Orat pro nobis; consolatur nos  
tempore adversitatis; Subducit pericu-  
lis; Tentatos roborat; defendit ab ho-  
ste; Revocat à peccato; Præparat ad  
pretiosam mortem. Et quid? Nos in-  
honoremus pravis moribûs, aut exem-  
plis vitæ pessimis? Timeamus, ne nos  
deserat.

*Instructio meritoria.*

In quovis angulo, in quovis diverso-  
rio, Angelo nostro habeamus reveren-  
tiā, & hodie multiloquium cavea-  
mus. Ore plerumque Deum contrista-  
mur & SS. Angelos. In satisfactionem  
subjungamus *Lytanias de Sanctis An-*  
*gelis*



Dominica I. Septembris. SS. Angelorum. § 19  
geliſ. *Angeli adſtant orantibus, &*  
*credentibus.* S. Gregorius.

III.

O Fili! in manibus portat nos Dei angelus. Portat, ne uspiam ad lapidem offendamus pedem, seu vitam nostram. Ecce charitatem! Ecce! humilitatem! pulveri, cineri, fimento terræ tanta præstat obsequia. O nos elatos! Alta semper petimus, quia ima despicimus. Chare! Omnes delectat celsitudo: Sed audiamus S. Augustinum: Ad celsitudinem humilitas gradus est: Quid tendis pedem? Cadere vis, non ascendere, à gradu incipe, ascendisti.

*Inſtructio meritoria.*

Angeli quid ita amant, ut humilitatem? Honorabimus, si in hac ambulaverimus. Id quomodo fiet? Elatos humeros, erectam cervicem, oculos in quoscunque obviantes infixos reprimamus, humiliato semper capite incedamus, oculis terram ceu futuram brevi sepulturam nostram consideremus: & erimus jucundum Deo, angelis, & homini-

520 II. Septembris. S. Stephani Reg.

minibus spectaculum. Pro obtainenda  
humilitate à Christo, & SS. Angelis in  
nobilitatè per novem dies novem Pater  
et Ave cum Te Deum peragamus. Pla-  
cet hic numerus novem Angelorum  
choris.

Festum S. Stephani Hungariae  
Regis, & Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

Jacet ad pauperum, & miserorum  
pedes S. Stephanus, coram quo &  
populi sua flectebant genua. Humili-  
tas non deprimit nobiles, sed magis  
nobilitat; quia humili Jesu assimilat.  
Quid hic nostra superbia? Pauperes vix  
aspectu dignamur? O utinam non raro  
& cum indignatione repelleremus! Fi-  
li, quid attentamus? Si fecerimus, Je-  
sum abegimus! Quanta crudelitas!

Instructio meritoria.

Pauperes, & miseros si non habeamus,  
quorum pedes exosculemur, saltēm li-  
mites aut Ecclesiæ, aut cellulæ, vel cubi-  
culorum veneremur osculis, memores  
quot ibi occasiones meritorum! Virtus

quo



II. Septembris. S. Stephani. Reg. 521

quò occultior, eò sanctior. Ut afflitti,  
& pauperes suos semper inveniant pa-  
tronos, hodiernum Rosarium eis offe-  
ramus. Amor non est, si otiosus, &  
sine opere.

II.

**O** Randi studio noctes penè totas  
duxit insomnes, atque in cœlesti-  
um rerum contemplatione absorptus,  
non raro raptus est in extasin. Dilecte!  
Quam immersi adhuc vivimus luto hu-  
jus iniqui sæculi! Ubi raptus nostri? O  
utinam non ad vanitates, & insanias  
falsas!

*Instructio meritoria.*

Si noctu evigilemus, amore Christi,  
& gaudiorum cœlestium interdum sur-  
gamus, somnum modicè abrumpamus,  
& flexis genibüs SSS. Trinitatem, vel  
Venerabile Altaris Sacmentum adore-  
mus cum dulci amoris suspirio: Benedi-  
camus Patrem, & Filium, cum San-  
cto Spiritu, laudemus & superexalte-  
mus eum in secula. Vel Amor! mi Je-  
su! Tædeat me dormire sine te! Dele-  
ctet vigilare propter te! Nomen tuum  
mea

522 II. Septembris. S. Stephani Reg.

*mea est refocillatio! Memoria tui mea  
unica quies, & consolatio. Dein ite-  
rum ad lectum. Donum vigiliarum, &  
occultæ orationis, donum preciosissi-  
mum est. Ut digni simus hujus posses-  
sione, per unam horam integrā co-  
ram Sanctissimo nos detineamus, nem-  
inem in ecclesia aspiciendō, sed erētis  
manibūs ac recollectō spiritu S. Rosa-  
rium cum officio minori de dulcissimo  
Nomine Jesu, aut amabili SS. Altaris  
Sacramento. Cum Jesu loqui quām  
jucundum, & dulce!*

### III.

**R**egni negotia tam prudenter di-  
sposuit, & ordinatè S. Stephanus,  
ut sine consilio virorum à sapientia, &  
virtute celeberrimorum nihil unquam  
agredi voluerit. Charissime mi!  
Ca-  
veamus nimiam de nobis ipsis confiden-  
tiā. Centies confundemur, & erra-  
bimus. Quare? quia superbis resilit  
Deus. *Quamvis sis in tuto, noli esse se-  
curus.* Monet D. Bernardus. Non  
enim sumus sufficiētes, cogitare aliquid  
*boni*



boni ex nobis ; Sed omnis sufficientia  
ex Deo est. 2. Cor. 3.

*Instructio meritoria.*

Singulis mensibus bis accedamus Venerabilem Patrem spiritualem, consulamus, & an nulli in nobis advertantur errores, excessus, vel offensæ magis notabiles, cordatè conveniamus. Si quæ præscripserit media, citò exequamur. Ne verò id nostris adscribamus viribus, recitemus officium minus de Spiritu Sancto. Ubi vult, hic Deus spirat.

Festum S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ & Patronæ contra pestem per omnia regna, & Provincias Romanæ Imperii Honoratissimæ.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**A**ntra, speluncam petamus, ô fili ! Inveniemus in his Virginem Rosaliam in summa austeritate vitæ, & contemptu regiæ etiam amplitudinis Deo suo suaviter servientem. Sic nullus locus adeò squallidus, aut tetricus, ubi non virtuti diversorum. Nec verus amor refugit aspera. *Qui enim amat, non labo-*

§ 24 IV. Septembris. S. Rosaliæ.

*borat ; & omnis labor non amantibus  
gravis est ; solus amor est , qui difficul-  
tatis nomen erubescit. S. August.*

*Instructio meritaria.*

Cultum habeamus majorem, ut &  
munditiem specialem cubiculis, & celis  
nostris, ubi sanè Officina multorum  
actuum heroicorum. Non patiamur  
ibi jacentes in terra sordes, & dum inge-  
dimur, flectentes genua dicamus cum  
Regio Psalte : *Introibo in domum tuam,  
Domine ! & reddam tibi vota, que di-  
stinxerunt labia mea.* Pro spiritu recol-  
lectionis dicamus Psalmum : *Quam di-  
lecta tabernacula &c.* Omniaque SS.  
exercitia sine scabello instituamus. Ele-  
ctimus coram Deo ! Exinanite usque ad  
profundum !

II.

**S**olitariæ nostræ non deerant cœlestes  
deliciæ. Tœdium , & horrorem  
asperæ adeò vitæ, quem suggestit da-  
mon, acriter in seipsum sœviendō triun-  
phavit S. Rosalia. Et nos ! O mi chare !  
Inter hilaria , & amœnitates confidimus  
de victoria ? Quid stolidius ? Mollia cœ-



tò cadunt. Scant firmiter heroica pecto-  
ra. Qui corpus mulcet, pabulum sat  
pingue nutrit bufonibus. Corpus bene  
pastum raro est castum.

*Instructio meritaria.*

Tœdium, & nausea rerum spiritua-  
lium ô quām multos jam abstulit Chri-  
sto! Raro sumus sine illo. Ad arma er-  
gò! Quām primūm tœdere incipimus,  
ad ecclesiam, vel ad librum spiritualem,  
vel ad opus quoddam manuum confu-  
giamus, clamantes ad Crucifixum: *Deus  
meus! Deus meus!* Ut quid dereliqui-  
sti me! Ut verò fortiter resistamus,  
ignem divini amoris, & Sancti Spiritus  
imploremus per Lyanias de eodem dī-  
vino Spiritu. O ignis, qui semper ar-  
des, & nunquam extinqueris! O amor,  
qui semper uris, & nunquam tepescis!  
Accende me, & accendar, ut totus di-  
ligam te. S. August.

III.

**I**nventum S. Rosaliæ corpus liberavit  
totam Siciliam à lue, & contagione  
truculentissimâ. Quis jam neget, ô fi-  
li! Vitam in austoritatibus, & in pœni-  
ten-

526 IV. Septembris. S. Rosalii.

tentiâ transactam parere corporibus no-  
vum robur , & gloriam ? O nos debiles !  
Quia deliciis assuescimus nimium ! Di-  
lecte ! potemur potius de torrente vo-  
luptatis Divinæ , ut nil jam mundanorum  
degustare libeat venenatæ dulcedini.  
Hæc enecat ; illa ad vitam æternam ca-  
xitat.

*Instrucción meritoria.*

Patriæ multa debemus ! Solvamus de-  
votione debita , quâ singulis annis ho-  
diernum festum solemnius celebrabi-  
mus , aut sacrificandô , aut S. Synaxim  
suscipiendô , & Rhythmum illum ad Ma-  
riam persolvendo :

Stella cœli extirpavit ,  
Quæ lactavit Dominum ,  
Mortis pestem quam plantavit  
Primus parens hominum ,  
Ipsa Stella nunc dignetur  
Sidera compescere ,  
Quorum bella plebem cœidunt  
Diro mortis ulcere .  
O gloriofa stella maris  
Pestiferis succurre morbis

Aud



Audi nos, nam te filius

Nihil negans honorat.

Salva nos Jesu! pro quibus

Virgo Mater te orat. Amen.

v. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

v. Ut digni efficiamur promissionibus  
Christi.

*Oremus.*

Deus misericordiæ, Deus pietatis,  
Deus indulgentiæ, qui misertus es super  
afflictionem populi tui, & dixisti an-  
gelo percutienti populum tuum: sufficit,  
nunc contine manum tuam; ob amo-  
rem illius Stellæ gloriosæ, cuius ubera  
preciosa, contra venenum delictorum  
nostrorum quam dulciter suxisti: Præsta  
auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni peste, &  
improvisa morte securè liberemur, & à  
totius perditionis incursu salvemur, per  
te Jesu Christe, Salvator mundi, Rex  
gloriæ. Qui cum Patre, & Spiritu San-  
cto vivis, & regnas Deus per omnia sæ-  
cula saeculorum. Amen.

*Oremus.*

Exaudi nos quoque Deus, salutaris  
noster, ut sicut de Beatae Rosaliæ Virgi-  
nis

nis tuæ Festivitate gaudemus, ita piæ de-  
votionis erudiamur affectu, & ejus in-  
tercessione ab iracundiæ tuæ flagellis mi-  
sericorditer liberemur.

**Festum S. Magni Abbatis ex  
Ord. SS. P. Benedicti Sueviæ  
Apostoli.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**N**omen prodidit, quis fuerit hic Vi-  
coram Deo & omni populo? Ma-  
gnus videlicet à sanctitate vitæ, & plen-  
tudine virtutis. Magni æstimari deside-  
ramus? Fili! ut simus, & cum veritate  
dicamur: Cur non laboramus? Hocne  
profiteri Christianum? Solo nomine  
Re, & opere negamus.

*Instructio meritoria.*

Magna Christiani Nominis dignitas!  
Ne miouatur per nos, unum, vel alterum  
actum heroicum in abnegando appetitu  
concupiscibili, vel irascibili exerceamus,  
& ut superemus, in honorem S. Magni  
Psalmum recitemus: *Magnus Domi-  
nus, & laudabilis nimis cum tribus Pa-  
ter & Ave. SSS. Trinitas respiciet,* &

VI. Septembris. S. Magni. 529

respiciendō nos Magnos virtute, & grā-  
tiā efficiet.

II.

**P**auperes si vestire, si ditare non va-  
leamus, dilecte! cum Divo Ma-  
gno Verbum bonum, lene, & mansue-  
tum pententibus demus cum charitate.  
S. Magnus cœcum sanavit utens B Petri  
verbis: *Argentum, & aurum non est  
mihi; quod autem habeo, hoc tibi do:  
In Nomine Domini Nostri Iesu Christi  
aperiantur oculi tui.* Dixit, & vidit.  
*Beati mites, quoniam ipsi possidebunt  
terram miraculīs.*

*Instructio meritoria.*

**I**Rasci, & indignari, si quid petitur à  
nobis, quàm indecens est! Infera-  
mus hīc vim insulsa, & petulanti naturæ,  
& nemini per octo dies negemus, quod  
justè rogati fuerimus. Pro satisfactione  
omnis indignationis nostræ recitemus  
officium de SS. Nomine Iesu. Hic uti-  
que docuit: Discite à me, quia humili-  
sum, & mitis corde?

Z

III. Ter-

## III.

**T**erribilem interfecit draconem D. Magnus. Quô mediô? Precibüs, jejuniis, & vigiliis. His cedere debent & efferæ bestiæ. Et ô rem miram! Pravam consuetudinem, hanc, vel illam effrænem vitæ licentiam, vel passionem mediis adeò potentibus tollere aut non volumus, aut iniquè desperamus. Ab cur vivimus fili? Si pravos habitus ita prædominari nobis permittamus?

*Inſtruçio meritoria.*

Impossibile, duobus servire Dominis Deo, & vitio. Quid agimus? Hanc vel illam passionem, aut inveteratam consuetudinem per hunc mensem aggredi fortissimè statuamus. Media sint pietatis. & devotionis exercitia. Nostrum est, conscribere opera; Venerabilis Patris spiritualis benedicere. Interim proficessu felici assumptæ pugna quotidie post mensam cordi Jesu suavissimo apud Sanctissimum ferventer pia commende mus proposita addendo quinque Patrum Ave cum Psalmo: Cùm invocarem exan-

VIII. Septembris. Nativitatis B. V. M. 531  
exaudivit me Deus. Cadat inimicus !  
Imperet anima !

Festum Gloriosissimæ Nativita-  
tis Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**D**ilecte ! Ad domum properemus  
Joachimi. Maria nata est ! Ex-  
osculemur , quam tota coelestis curia , &  
Ipsa colit, atque honorat sacro sancta  
Trinitas. Pater ut Filiam : Jesus ut Ma-  
trem ; Spiritus Sanctus ut Sponsam sibi  
electissimam. Deus præcessit : Non se-  
quetur homo totus dependens à Mariæ  
præsidio ? Maria enim est solarium eo-  
rum, qui affliguntur ; est ultio eorum,  
qui vexantur ; est amictus eorum , qui  
sunt nudi; est firma defensio eorum, qui  
mane ad eam vigilant, quæ semper suis  
fovet ulnis devotos sibi famulos. S.  
Theophil.

*Instructio meritoria.*

Et qui parvulam adeò præcelsam con-  
digne venerabimur ? Cantu Mariæ. No-  
vies Magnificat orabimus, & inde gra-  
tulabimur benedictis parentibus SS. Joa-

Z z chimo,

132 VIII. Septembris. Nativitatis B. V. M.  
chimo, & Annæ jungendo S. Rosarium  
de Mysteriis gaudiosis. Hæc dies, quam  
fecit Dominus, gaudeamus!

II.

**N**ascitur Principi cuidam filia, jam  
gratulationes audiuntur, festa in-  
stituuntur, munera offeruntur. O fili!  
Nata est mundi Domina! Lætetur cor  
nostrum, laudes dicamus Domino, &  
multis pietatis obsequiis diem tam san-  
ctum, & millies benedictum transiga-  
mus, idque non sine munere.

*Instructio meritoria.*

Sed ubi illud? Aurum, & argentum  
non petit Maria: bene puritatem cor-  
dis, & humilitatem. Ut exhibeamus,  
altaria Beatissimæ Virginis in templo vi-  
ficemus, & ante quodlibet in veneratio-  
nem ætatis B. V. Mariæ novem Pater  
*Ave* recitemus cum hymno: *Memento  
salutis auctor.* Vel in honorem 72  
annorum, quibus S. Deipara vixit super  
terram, totidem *Ave* oremus. Auctrix  
peccati Eva, & auctrix meriti Maria.

III. 0



III.

**O** Sit tandem cordibus nostris nasce-  
retur Maria! ô si perfecta hujus  
cognitio! Ardens amor! Marianus ze-  
lus! Fervor Cherubinus! Sic Nativitas  
Mariæ foret & nativitas, seu regenera-  
tio nostra; quia per Mariam nova fie-  
rent omnia, nova in sensibus, nova in  
verbis, nova in corpore & anima. *Sicut*  
*enim ô fili!* *Omnes cecidimus per fæmi-  
nam, ita non erigimur, nisi per fæminam.*  
S. Bern.

*Instructio meritoria.*

Non recedamus à domo Joachimi.  
In hac per recollectionē hodiernæ totius  
dici specialem quieti, & solitarii per-  
sistamus, & in honorem 72. annorum ac  
vitæ Beatissimæ Virginis totidem *Ave*  
cum 72. osculis terræ peragamus. O si  
vitæ Mariæ responderet & nostra! Et  
hujus quale impedimentum? Quia non  
verè diligimus Mariam. Hic hic respon-  
deat tepiditas, & negligentia in cultu  
Mariano! Nulla nimium tenera Maria-  
no obsequio ætas.

534 X. Septembris. S. Nicolai Tolentini,  
Festum S. Nicolai Tolentini ex  
S. Ordine Eremitarum S. Augustini,

EXHORTATIUNCULA I.

**S**peculum desideramus admirandæ au-  
steritatis? Intueamur vitam S. Ni-  
colai, & videbimus non sine stupore.  
Hic utut sui exactor rigidissimus, tamen  
vixit semper hilaris, & jucundus. Vite  
rigor pacem, & spiritus lætitiam non  
aufert, sed dat, & datam conservat.

*Instructio meritoria.*

Inter mundi gaudia cui unquam fuit,  
erit, vel est bene? Fili! attendamus, ne  
in victu, vel vestitu plus delectationis,  
& delicatæ commoditatis quaramus,  
quam necessitatis, aut Christianæ pau-  
pertatis. Natura paucis contenta est.  
Offeramus cum jucunditate spiritus Deo  
unum, vel alterum mortificationis  
actum in mensa. Ea finitâ visitemus San-  
ctissimum cum illo desiderabili Psalmo:  
*Quemadmodum cervus desiderat ad  
fontes aquarum.* Anima plus est, ubi  
amat, quam ubi animat.

II.0



II.

**Q**uantum orationis studium in S. Nicolao! Erat assiduum, atque ardentissimum. Ut interrumperet, iavadtur à Sathanā, miserè vexatur, & flagellis crudeliter cæditur. Orare tamen pergit Vir Domini. Dilecte! non hīs insultibūs opus est, ut à precibus desistamus. Sufficit unica distractio, & recedimus. *Oratio fervidam mentem requirit*, ait S. Chrysost. & si fuerit fidelis, humilis, fervens, cœlum penetrabit; unde certum est, quòd vacua non redibit. S. Bern.

*Instructio meritoria.*

Dum tempus habemus, oremus. Präveniamus lectulum ultimæ infirmitatis, ubi orare vix quidquam propter extre mas, quæ nos prement undique, angustias poterimus. In compensationem orationum toties neglectarum omnia Trias. Rosaria persolvamus, idque vel hodie, vel aliō opportuniori Tempore. His rosis sternemus nobis viam pro patria cœlesti.

## III.

**O** Qualcm doctrinam audio ex ore S. Nicolai! Qui semel a Domino discesserit, ait, nusquam erit contentus. Qui autem permanserit cum eo, posside omnia. Chare mi! An non stulta, & sordida nimium est avaritia, cum eo contentum non vivere, qui summa felicitas, & Beatus omnium Angelorum, & sanctorum consummata? Aliter ecclasticus Doctor S. Augustinus cordialiter, contestans: Æterne Deus! Te Credo, te spero, te laudo, te amo, adoro, ac benedico sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum.

*Instructio meritoria.*

Sumus in bono statu? maneamus. Non nostras calamitates fucatæ aliorum comparemus felicitati. Vult Deus, ut in hoc statu vivamus, non in alio, quem nos forte optamus. Acquiescamus igitur voluntati Divinæ, & lætemur in Domino semper. Cognovi (effatum sonat Salomonis) Quod non esset melius, nisi lætari, & facere bene in vita sua. Ne

Dei

Dei obliviscamur, quinques hodie communicabimus spiritualiter, præsertim ad utramque refectionem. Quinques & Psalmum orabimus : *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi.* Jesu ! nolo vivere sine te.

## Festum Sacratissimi, & Mellifui Nominis Mariæ.

### EXHORTATIUNCULA I.

**F**lectamus genua ò Mariophile! quoties pronuntiabitur Nomen Mariæ. Non enim infortunium est ullum (loquitur S. Anselmus) non est periculum, quod non à nobis averrat hoc Nomen. O nos modicæ fidei! Cur Mariam non invocamus? Vult adesse cunctis obsecrationibus nostris, in cuius manibus verè reposita est omnium salus.

### *Instructio meritoria.*

Desidiam emendemus, & Mariam jupiter imploremus. In reverentiam cantti Nominis, quoties illud audierimus pronuntiari, toties quam humillimè inclinatò capite Matrem salutemus. Pro

Z 5

op-

538 Dominica infra Oct. Nativ. B. V. M.

opportunitate tamen temporis dicamus  
amorosum Rhythnum : *Omni die dic  
Mariæ, mea laudes anima.* Vel co-  
gitare Mariam , salutare est.

II.

**G**rande Nomen Maria ! quis hoc  
offendere, contemnere audebit? O  
dilecte ! Sæpe sæpius offendimus, illud  
in vanum sumendò. Heu ! tremunt  
dæmones , dum audiunt: Et ad risum,  
ad levitates applicet homo ? Majestas  
Mariæ terreat, si Amor non alliciat!

*Instructio meritoria.*

Citò satisfaciamus! Deprecemur fle-  
xis genibûs, corpore dein prostrato cul-  
pam dicamus , novisque honoribus  
coronemus Natalizantem. Quibus?  
Quinque psalmos oremus exprimentes  
quinque primas Mariæ litteras nimirum  
*Magnificat.* *Ad Dominum.* Retribue  
servo tuo. *In convertendo.* *Ad te le-  
vavi.* Porrò in cultum cuiuslibet lit-  
teræ quinque actus exerceamus, & ex-  
ercitos Ven. Patri spirituali extra-  
mus post octavam peractam. Amor  
otiari non debet.

III. De-



III.

**D**evotè non potest nominari Maria,  
sine nominantis utilitate. Ita S.  
Bonaventura. En! causam temporis,  
& naufragiæ sub invocatione Mariæ. De-  
bet devotionis affectus; Ideò & dulce-  
dinis fructus. Sed quid hoc? Nauseare  
Mariam. Fili! Ergò non nobis nota  
Catharinæ senensis sententia dicentis:  
*Maria est à Deo electa, parata, &*  
*posita tanquam esca dulcissima ad ca-*  
*piendos homines?*

*Instructio meritaria.*

Desidiam, & socordiam tantam non  
redimamus? Absit! Dies est, hora est,  
festivitas magna est: Non negligamus.  
Quoties ergò imaginem Beatissimæ Ma-  
tris transibimus, mediò genu flectentes  
dicamus: *Dignare me, laudare te Vir-  
go Sacrata!* In satisfactionem verò ir-  
reverentiarum omnia tria offeramus S.  
Rosaria in honorem quindecim Myste-  
riorum, quibus plurimum honoratur  
Nomen Mariæ. Vivat Maria in corde!  
Vivat in ore!

540 XIV. Septembris. Exaltatæ S. Crucis.

## Festum Exaltatæ S. Crucis.

### EXHORTATIUNCULA I.

**F**illi ! Amice ! magni esse cupimus !  
Cupimus inter creaturas exaltari ?  
Vitæ incommodis, paupertati, aliisque  
ærumnis imperare ? Amplectamur S.  
Crucem, quam nostris imposuit hume-  
ris providus, misericors Deus. In Cruce  
miseria nulla. Sine ea semper maxima.  
Qui hic flagellatur, ibi perpetuò latatur.  
Abite jam momentanea hominum &  
sæculariter viventium gaudia ! Abice-  
sum, ubi Crucifixus.

### *Instructio meritoria.*

Adoremus nobile S. Crucis tropæum,  
& ut omni veneratione in orbe universo  
à piis Christianis honoretur, statim à  
manè, & primo excitationis signo ver-  
sus quatuor mundi plagas genua flecta-  
mus dicentes : *Adoramus te Christe, &*  
*benedicimus tibi, quia per Crucem tuam*  
*redemisti mundum.* Recitemus & Hym-  
num ex Vesperis : *Vexilla Regis pro-  
deunt.*

II. He-



II.

**H**eraclius Imperator ovans & triumphans ad proprium locum suis humeris sacram Crucem à Choſroa reportatam portare gestiebat. At urbem ingredi non potuit. Prius purpuram, coronam, & calceamenta deponere debuit. Humilitas in servis placet cœlorum Regi. Et hæc virtus nunquid & nobis possibilis? Humilitate quid dicitur? Quid pretiosius? Hac regnum cœlorum emitur. S. Bern.

*Inſtructio meritoria.*

Superbiunt non raro & nostra capita! Ideò non mirum, quod nondum in nobis transformatus sit Christus, & hic Crucifixus. Ut nos tandem humiliemus, nostrasque voluntates submittamus, omnes preces, adorationes Venerabilis Sacramenti, vel alias devotiones in Ecclesia inclinato exemplariter versus terram capite, ac submissis oculis instituamus oraturi pro opportuniori occasione officium minus de S. Cruce. Jesus pendet in Cruce! Et homo incedat elata cervice?

142 XIV. Septembris. Exaltatæ S. Crucis.

III.

**C**hare! ad Calvariaæ montem ascen-  
dere cupimus? Nudis pedibus, &  
pœnitentiæ operibus eò eluctemur, ut  
Heraclius. Cum Cruce Domini non  
stant affectus pravi, passiones, aut turbi-  
dæ propensiones. Nudi simus, necesse  
est, si divitias, & gloriam Jesu rapere  
& capere desideremus. O beatos pau-  
peres spiritu! *Quanta enim beatitudo!*  
*pro parvis magna recipere, æterna pro*  
*brevibus, pro morituris semper viven-*  
*tia, & habere Deum debitorem?* S.  
Hier.

*Instructio meritoria.*

Dicamus igitur cum D. Paulo : Mili-  
autem absit gloriari nisi in Cruce, in pau-  
pertate, humilitate, & obedientia Do-  
mini Nostri Jesu Christi! Quibus virtu-  
tibus ut ad coelum usque tertium exalte-  
mur, per octo dies quotidie coram Cru-  
cifixo genuflectamus, & quinque Pat-  
& Ave, in honorem quinque SS. Stig-  
matum Jesu recitemus. Cum Jesu! cum  
Cruce Domini! cætera nihil ad nos.

XVII. Sept. SS. Stig. S. P. Francisci. 543

Festum Impressionis Sacrorum  
Stigmatum factæ Seraphico Patriar-  
chæ Sancto Francisco.

EXHORTATIUNCULA I.

O Gratum oculis spectaculum! Fili  
mi! S. Franciscum cernimus vul-  
neribus Christi rubescentem? Cernimus  
Jesum, & Francisco sese quæsi incorpo-  
rantem? Accurramus & nos & utrum-  
que amoris osculo stringamus, suspiran-  
tes: Domine! intra vulnera abscondas  
me!

*Instructio meritoria.*

Ut in amore plures ex omnibus reli-  
gionibus prodeant seraphicæ, & erga  
Crucifixum Dominum vulneratæ ani-  
mæ, subjungamus quotidiano Missæ sa-  
crificio *quinque Pater & Ave cum ora-*  
*tione: Respice, quæsumus Domine, su-*  
*per hanc familiam &c.* Passio Jesu, cla-  
mat S. August. quanta sit, cogitate: Hanc  
in statera cordis vestri appendite; & to-  
tus vobis figuratur in corde, qui totus pro  
vobis fixus fuit in Cruce.

II. S.

II.

**S** Franciscus in omnibus adversitatibus non invenit efficacius remedium, quam vulnera Christi. Aperte sunt & haec nobis! Hic quiescamus! Est & hoc ipsum Crucifixi consilium, cum ad quemdam jamjam è religione aufugere volenti dixit: *Omne asperum intinge in vulnera mea, & erit tibi dulce.* Fili! sonet & haec vox in auribus nostris! Vox enim haec dulcis, & facies ejus decora  
Cant. 2.

*Instructio meritoria.*

Contraria, & adversa non desunt. Solida deficit patientia. Ut retineamus, & in tribulationibus sanctè gaudeamus, quinque decades hodie recitemus ex SS. Rosario, quarum primam applicabimus vulneri dexteræ Christi, & sic de cæteris. Sit nobis sicut amanti D. Bonaventura genuinè fatenti: *Non possum esse sine vulnera, quando te video vulneratum.*

III.

**O** Dilekte mi! quinque & nobis sunt vulnera in sensibus nostris! Sed per quinque plagas Crucifixi perpetua

salu-

saluti restituti sumus. Attendamus, ne nostrâ incuriâ, sensuum laxitate, & appetitum petulantiam iterum renovemus. Ex Sacris vulneribus processit spiritus Jesu, spiritus bonus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans. Non depellamus irreverentiis!

*Instructio meritoria.*

Ne eveniat, quod timeo. En Mariæ consilium, quod dedit S. Mechtildi. Ad hanc sic Deipara : Filia ! veni ! & osculare vulnera amantissimi Filii mei ! Cordi meo fige tria oscula cum gratiarum actione pro effluxu gratiarum copiosissimo in omnes creaturas. Osculando vulnera dextræ, gratias eidem age, quod fuerit cooperatrix tua in omnibus operibus : Lævæ, quod fuerit hactenus assylion tutissimum in omnibus adversis. Dextri pedis, quod tanto desiderio in te quarendo cucurrerit; sinistri, quod ibi inventura sis veniam omnium peccatorum. Qualis hæc doctrina ? Maria dedit. Exequamur ! Hodie recitabimus officium de SS. Vulneribus Christi ex offi-

146 XVIII. Sept. S. Thomæ Villanov.

officiosa Ruth. Cum triplicando hoc  
amoris suspirio : Domine Iesu! O Deus  
cordis mei! Per illa Sanctissima vulne-  
ra, quæ amor mei inflixit in Cruce, qua-  
so, cuius famulis subveni, quos pretiosum  
sanguine redemisti.

Festum S. Thomæ à Villanova  
ex S. Ordine Divi Augustini Archi-  
episcopi Valentini.

#### EXHORTATIUNCULA I.

**O** Nobilem in Thoma puerulum! Vi-  
dit pauperes ; vidi & nudos.  
Quid amor suggerit? Sese propriis exuit  
vestibûs, & indigenti tribuit. Fili mi-  
chare! Talia charitatis obsequia mira-  
mur! Si imitari non placeat, id saltem  
præstemus, ut proximum suô bonô No-  
mine, famâ, & honore denudatum ac  
privatum vestiamus verbis consolatoriis,  
defensoriis, & propugnatoriis. Beatus  
qui intelligit super egenum & pauperem;  
in die mala liberabit eum Dominus.  
Psal. 40.

*Instructio meritoria.*  
Vix dies, ubi proximus non patitur in  
fama



fama per linguam mordacem, acuminosam, detractoriam, & injuriosam. Sit jam propositum firmum, standi à dextris, & defendendi patientem. Nos autem ut eò firmiores in charitate erga proximum solidemur, duodecim actus hujus regiæ virtutis usque ad proximam confessionem reflexè exerceamus quotidie renovandò illa ardenterissimi D. Augustini desideria : *Deus meus! misericordia mea!* *Oro te per dilectum Filium tuum, da mihi misericordiae opera, pietatis studia, compati afflictis, consule erroneis, subvenire egenis, succurrere miseris.* Hoc Alexipharmacum, quô natura reparabitur corrupta.

II.

**Q**uid petere à Deo solebat hic sanctus? Nunquid honores? Amplas substantias? Redditus pingues? Dies hilaritatis, & jucunditatis? Amore Christi hæc contempnsit, & deseruit omnia. Preces quotidianæ erant, ut scientiam sanctorum, & rectam vitæ, morumque normam desursum obtineret. Fili, cur per multa vagamur, quæ-

548 XVIII. Septembris. S. Thomæ Villanov.

quærendo bona corporis varia ? Ame-  
mus unum bonum, in quo sunt omnia  
bona, & sufficit. Porro unum est ne-  
cessarium, ut salvemus animas nostras,

*Instructio meritoria.*

Ut eò frequentius recordemur Do-  
mini Dei, & Christianæ obligationis  
nostræ, quâ tenemur declinare à malo,  
& facere bonum, quotidie ad elevatio-  
nem S. Hostiæ in missa supplicemus pro  
solido peccati horrore, contemptu sa-  
culi perfecto, & Cherubino Dei amore  
super omnia, subjungendo in fine mis-  
sæ septem Pater & Ave pro lucrandis  
indulgentiis. Clausula sic devotus hic  
gemitus : *O infinita Sapientia ! Da mihi  
veram sapientiam, & scientiam sanctorum,* ut te in veritate cognoscam, ac  
toto corde diligam.

III.

**M**isericordias erga afflitos S. Tho-  
mæ quis enarrabit ? Fili ! nemo  
poterit ; quia stupenda, & admirabi-  
les. Omnia, etiam ipsos Ecclesiæ red-  
ditus dispersit in egenos, adeò, ut ne  
quidem ei lectulus superesset, dum lu-

Etan-



XVIII. Septembris. S. Thomæ Villanov. 549

ständum cum morte. Amor! libera-  
litas! Misericordia erga pauperes ubi es,  
si non inveniaris in cordibus Christiano-  
rum? Beatus est magis dare, quam ac-  
cipere. Act. 20. neque homo aliquid  
tam divinum habet, quam de aliis bene-  
mereri. S. Greg. Nazian.

*Instructio meritoria.*

Probemus vel hodie, quòd & in no-  
stris resideat cordibus charitas erga mi-  
seros, & clementia. Demus, quan-  
tum possumus, omnibus, quotquot ele-  
mosynam petierint hodie à nobis. Si  
pecuniae non sint, dimittamus saltem  
in bono verbo, & in Nomine Jesu me-  
mores illius: *Aurum, & argentum non  
est mihi.* Si sint, extendamus manum  
ad pauperes, & nostrâ liberalitate fovea-  
mus eos. Item & in cibis, aut potu ali-  
quid relinquamus mentaliter dicendo:  
*Jesu! tibi, & miseris!* Nunquam est  
vacua manus à munere, si arca cordis  
repleta sit bona voluntate. S. Greg.

Festum

150 XXI. Septembris. S. Matthæi Ap.

Festum S. Matthæi Apostoli ex  
Telonio prodigiose ad conversio-  
nem vocati.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**edet, & otiaatur Matthæus in suo telo-  
nio. Non patitur Jesus, extremus  
pigritiæ, otii, & tepiditatis osor. Filii  
ut quid & nos stamus otiosi in via vir-  
tutis? Non sedere, non pigritare & qui-  
escere, sed laborare, certare, progre-  
dior oportet. *Tempus* *seminandi* *nunc* *est;*  
*colligendi* *vero* *post* *hanc* *peregrinatio-*  
*nem.* *Prout* *unusquisque* *seminave-*  
*rit,* *metet.* S. Laur. Just.

*Instructio* *meritoria.*

Prô! quid agimus? Cur non jugiter  
ad montem pergimus magnæ sanctita-  
tis? Cur stertimus pigri? Salvari ope-  
ret, ubi? In monte. Et terræ affigi-  
mur? Unde hoc? Quia nullum ser-  
vamus vivendi ordinem. Emendemus  
ò chare! & imposterum totius die  
agendorum semper nobis præfigamus  
certam rationem, & distributionem.  
Secùs ex improviso nos improvisum  
ocium

XXI. Septembris. S. Matthæi Ap. 551

otium præveniet, multas merendi horas auferet, & Deo, proximo, atque nobis prorsus inutiles reddet. Id ne Deus permittat, tres extraordinarias visitationes Sanctissimi Altaris Sacramenti instituamus, ubi S. Augustini preces innovabimus rogantes: *Reseca in me Factor mei! otiositatem, somnolentiam, pigritiam, & mentis hebetudinem.* Fili! Usque quò de somno, de otio consurgemus? Surgamus! grandis enim nobis restat via.

## II.

**A**d duo verba: *Sequere me.* Matthæus convertitur ad Dominum, pro cuius amore & vitam posuit. Fili! quotidie transit, videt, & aspicit, vocat, & invitat Jesus. Sed quæ nostra ignavia? A telonio, à vanitatibus, & gaudiis seculi necdum avelli possumus! Verum si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit. 1. Cor. 16.

### *Instructio meritoria.*

Avelli à stultitia hujus sæculi non volumus in vita: Ergo avellemur in morte.

152. XXI. Septembris. S. Matthæi Ap.

te. Sed ò quām nimis dura hæc nobis eveniet avulsio ! Non volumus audire: *Sequere me.* Ergo dulcius erit tonitru: *Ite maledicti.* Quām necessaria proin nobis voluntatis nostræ abnegatio ! Pro hujus praxi, & exercitio studeamus hodie ad omnia divina officia, sacra exercitia esse inter primos, nostroque fervore & exemplo quoque allicere alios ad parem devotionis, & abnegationis affectum. Pro quo obtinendo duodecim Pater, & Ave recitemus cum totidem Gloria Patri &c. & osculis terra. *Nosse Deum, consummata justitia est;* & scire justitiam, & virtutem Eju, radix est immortalitatis. Sap. 15. 3.

### III.

**U**T Nomen, & prodigia Christi dilataret, Evangelistam induit S. Matthæus, Evangelia conscripsit, & athiopes (ò gentem barbaram ! ) docuit. Fili dilecte ! Non exigitur à nobis, ut S. Evangelia conscribamus; Sed ut his conformiter vivamus, & promptè obediamus. Scrutemur jam conscientiam! Videamus, quæ vitæ nostræ ratio ? Nam

XXVII. Sept. SS. Cosmæ & Damiani. 553

id agendum est, ait D. Chrysostomus ut  
vita nostra Evangelio respondeat.

*Instructio meritoria.*

Sub lectione SS. Evangeliorum ò ubi  
nostra interdum sunt corda? Erubesci-  
mus fateri. Summa his reverentiam,  
timorem, & fidem debemus, Igitur &  
reddamus standò posthac ad eorum le-  
ctionem in magna animi recollectione,  
& Deum rogandò, ut verba Evangelica  
exeant in omnem terram, & convertant  
obdurata hominum pectora. Pro clau-  
sula ad implantandam infidelibus fidem  
catholicam recitemus *officium de SSS.*  
Trinitate cum affectu suspirante: *Domi-  
ne! auge nobis fidem.*

**Festum Sanctorum Martyrum**

*Cosmæ, & Damiani Thavmatur-  
gorum.*

**EXHORTATIUNCULA I.**

**C**Hare fili! Infirmi sumus? Ad me-  
dicos curramus. Monstrar hos  
nobis dilecta parens Ecclesia in Sanctis  
Cosma, & Damiano. Nostra igitur eis  
pandamus vulnera! ostendamus & ani-

A a mi



154 XXVII. Sept. SS. Cosmæ & Damiani.

mi ulcera ! Placebit hæc nostra confi-  
dentia. In meritis, & patrocinis san-  
ctorum salus nostra. Quærimus alibi?  
Perdemus ! Inveniemus nunquam.

*Instructio meritoria.*

Sed quomodo vulnera pandemus,  
si intima raro, aut nunquam inspici-  
mus ? Si examina ordinaria frequenter  
negligamus ? Emendemus nos, & per  
octo dies jugiter occupemur in exercitio  
nocturnæ discussionis, descendamus in-  
tra propriam conscientiam, & i. s. Pater  
& Ave cum Te Deum Laudamus  
nobis ipsis imponamus in regularem  
poenitentiam. Cor si non offeratur hu-  
miliatum, non dimittitur peccatum.

II.

**B**enefacere proximo, magnum pie-  
tatis opus est. Consolari infirmos,  
divinæ Charitatis. Sancti hi Medici &  
succurrerunt, & gratis sanarunt omnes,  
& singulos, quotquot languebant cor-  
pore. Quid nos ? Bone fili ! jam nau-  
feamus, si vel à longè ægrotos intue-  
mur, aut de his quid narrari audimus.  
**O** delicatos ! O molles nos ! Heu ! pri-  
vabi-



XXVII. Sept. SS. Cosmæ & Damiani. 555  
vabimur illō dulcedinis verbō: *Infirmus*  
*sui, & visitasti me.*

*Instructio meritoria.*

Opera facimus multa: Humaniter  
conversamur cum proximo; Dulciter  
alloquimur, juvamus, & consolamur.  
Quō fine? O si gratiſ! O si ſinē reſpe-  
ctu ad propria commoda, ſine reflexio-  
ne ad majorem ſui aëſtimationem, & fa-  
vores lucrandoſ hominum! Infelicia  
lucra! His perdimuſ cœlum, Deum,  
omnia. Aſſueſcamuſ igitur rectæ in-  
tentioni, quam hodie præcipuis diei  
operibus præfigamur hac tesserā: Do-  
mine! *Tu ſcis, quōd amem te.* Fiat  
adoratio Sanctissimi clauſis oculis, &  
erectis manibūs per unum quadrantem.  
In fine addatur *officium de mellifluo Ven.*  
Altaris ſacramento. Quoties cupimus,  
Jesus ſe nobis conjuŋgit: Thesaurum  
aperit, quotiescumque indigus ſupplicat  
homo.

III.

**N**Ec mirum, quōd levem mercedem  
ab hominum manibus recuſaverint  
hi Martyres constantiſſimi. Majorem,  
A a z &

156 XXIX. Septembris. S. Michaelis Archang.  
& quide[m] immortalem sperabant à Do-  
mino, quam & obtinuerunt martyriō.  
O fili ! Sursum cum cordibus nostris!  
In terra non nisi expectanda afflictio; ibi  
sola, & perpetua invenitur consolatio.

*I structio meritoria.*

Quidquid acceperimus, aut donatu-  
ri simus aliis, prius superioribus exhi-  
beamus, aut in horum absentia, mani-  
bus Jesu, Mariæ, & S. Josephi praesen-  
temus, supplicantes, ut bene dicere,  
& sanctificare dignentur intenta mune-  
ra. Ad exuendum verò omnem pro-  
prietatis affectum hodie, & singulis so-  
lemnioribus Festis renovare statuamus  
religiosa vota, quæ claudemus cum *Te  
Deum Laudamus*. Sacrificium prom-  
ptæ, & piæ voluntatis, est coram Deo  
magnæ sanctitatis.

Festum Gloriosissimi Principis,  
& Archangeli S. Michaëlis, Prote-  
ctoris Ecclesiæ potentissimi.

*EXHORTATIUNCULA I.*

**F**ili! unde S. Michaëli tanta in cœlis  
gloria ? Nunquid à profundissima  
sui

XXIX. Septembris. S. Michaelis Archang. 557  
sui submissione, & humilitate? Non est  
locus in cœlo superbis, & elatis corde.  
Hos fugiamus, & SS. Michaëlis humili-  
tatem sequamur Clientes humillimi.

*Instructio meritoria.*

Humilitas traxit desursum Dei Uni-  
genitum; Humilitas peperit; Humili-  
tas in cruce exaltavit. Et tamen tam  
modico pretio virtus adeò divina est in  
cordibus hominum! Ut nos feliciter  
obtineamus, per octo dies formulam S.  
Michaëlis semper flexis genibüs peraga-  
mus cum *Lytaniis* de SS. Angelis, & Ar-  
changeli. *Angeli* præsunt hominibus;  
Archangeli præsunt angelis, & hæc in  
hominis adjutorium.

II.

**F**illi! quid hodie cernimus? Michaël,  
& angeli ejus præliantur cum draco-  
ne, quem & in profundum dejecerunt.  
Onos modicæ fidei! Jam ligatus est ad  
orcum cerberus infernalis, & quid? Pu-  
gnam timemus? Victoriam, & trium-  
phum desperamus? Stemus generosi,  
chare fili! Et pugnandō, amandō, ac-  
que perseverandō triumphemus. *Ni-*

Aa 3 titur

558 XXIX. Septembris. S. Michaelis Archang.  
titur quis frustrā , nisi innititur. S.  
Bern.

*Instructio meritoria.*

O suggestiones diabolicæ ! Quis vero numerabit ? Ubique prælia ! Undique timores ! Sed angelus , & Deus pacis nobiscum. Ut nunquam succumbamus, in honorem novem Chororum Angelicorum per hanc octavam dicimus novies *Te Deum Laudamus*. Gaudium angelorum est laus Dei, praesertim continua.

III.

**O** Fili ! judicio illi tremendo assister S. Michaël. Quis eum non timet, & timendō honoret ? Ah ! quid tunc disturi ? Aut quid facturi sumus ? Nihil tunc divitiæ ! Nihil scientiæ ! Sola piè facta proderunt. Hæc cogitans Vir secundūm cor Dei S. Job , tremulus interrogat : *Quid faciam, cùm venerit ad judicandum Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi ? Cedri nutant : Quid cum palea ?*

*Instructio meritoria.*

Cor purum , & conscientia bona, ac  
quieta



quieta S. Michaëli est acceptissima. Hanc solam si portaverimus ad tumulum, non habebimus, quod timeamus in conspectu Judicis. Ut perpetuò possideamus, ô S. Michaël! suscipe omnes Dominicæ dies, quas, per singulos annos tuo amori specialiter consecratos volumus, & nobis constituimus. Confirmabimus aut unà in hunc finem directâ S. Communione extraordinariâ, aut S. Rosariô duplicatô, ut Archifraternitas tua aliàs celeberrima in omnes transeat populos incrementò maximò. Denique dicamus Psalmum : *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt Nomini sancto ejus.* Demus Angelis & Archangelis aliquod tempus vitæ nostræ, ne vanitas, aut oblivio devoret.

## Festum S. Hieronymi Ecclesiæ

Doctoris illuminatissimi.

### EXHORTATIUNCULA I.

**F**illi! ad speluncam Bethlehemiticam nobiscum! Cernemus ibi S. Hieronymum divinis studiis, & contemplationibus penitus immortuum. Ah!

Aa 4      quan-

560 XXX. Septemb. S. Hieronymi.  
quando erit finis vanitatum, & stultitiae  
rum nostrarum, quibus diu, ac noctu  
inhiamus? *Nihil crus sentit in nervo,*  
*dum animus est in paradyso.* Tertull.  
Nemo inspexerit cœlum, quin terram  
spernat, cœlum cupiat, Deum amet,  
adoret, & timeat, sibique dicat: *Quid*  
*cum terra illi, qui possidet cœlum?*  
Chrys.

*Instructio meritoria.*

Sed quid interrogamus de fine? Ho-  
die cras nesciat! elevemus mentem &  
cor nostrum, quò vocat Deus. Quò  
mediò? Quadam recollectione speciali  
per medium horam continuanda, & à  
*Litanie Sanctorum omnium* inchoanda.  
*Sic nobis oppidum carcer, & solitudo pa-*  
*radisus.* S. Hieron.

II.

**D**ilecte mi! Hieronymus deserit  
Romam, ubi mirò colebatur ho-  
nore. Maluit vir Domini latere, quam  
ab homine æstimari. O chare! quò  
longior ab hoc sæculo, eò coniunctio  
Deo, & cœlo. Fugiamus & nos. Non  
fidamus hominum judicio. Aliter op-  
pan.



nantur sensus; aliter Deus. Quod mundus honorificum censet, saepe in oculis omnia videntis vile, & abjectum est.

*Instructio meritoria.*

Profecto laus magna deserti, ut diabolus, qui in paradiſo vicerat, in eremo vinceretur. Nec semel sufficiat, eum succubuisse. Expedit, ut quotidie nostrâ triumphetur virtute. Studeamus hodie occultæ vicæ, & pro impetrando omnis mundanæ, & humanæ laudis contemptu perfecto oremus in honorem duodecim graduum humilitatis in Christo Jesu 24. *Pater & Ave cum Psalmo: Domine! non est exaltatum &c.* sub hac tesserâ: *Nemini placere cupio, nemini dislicere timeo. Est solus Deus, quem quero, & diligo.*

III.

**D**ilectissime! quid sibi in manibus S. Hieronymi grande saxum? Cur pectus rubescit? Itane sanctus judicem timet? Veniam peccatorum supplicat. Sumus & nos parati? Instat reddenda ratio. Ad hanc nos reflectamus! contremiscamus! rejiciamus mundi memoriā,

Aa 5

riam,

562 Dominica I. Octobris. SS. Rosarii.  
riam! amplectamur Crucem! prope-  
remus ad pœnitentiam. Hoc sapere cum  
D. Hieronymo est.

*Instructio meritoria.*

Mortis ut recordatio sit nobis fre-  
quentissima, commendo pietati quoti-  
dianam defunctorum in cœmeterio vi-  
sitationem, ubi sæpius pro generoso sa-  
culi contemptu, & radicato Dei amore  
recitabimus aut dolorosum Rosarium,  
aut Vesperas ex officio defunctorum, aut  
preces alias in hunc finem pro solatio ani-  
marum ordinatas. Miseremini! Mis-  
remini! Agitur & de propria anima!

O C T O B E R.  
Festum Sanctissimi, & ter Be-  
nediti Mariani Rosarii.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uanta hodie Festivitas! Dominica  
quanta! O fili! Verè nominan-  
da victoriæ dies! Quia solemnitas  
agitur, quâ innumera in mundum in-  
vecta sunt beneficia per SS. Rosarium.  
Mundus ubi esset, si S. Rosariô suô la-  
benti